



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXI. De Reo capitalis criminis, at illud non fatente, licèt legitimè
interrogato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

metro contrarium, & reformativum
responsi Scabinatus in eadem causa,
datum mense decembri ejusdem ani-
ni. Cetera vel loquuntur de invasio-
ne rerum propriarum penes alium
existentium, vel de violenta rerum
alienarum occupatione. ut l. 3. C. de

pignor. l. 7. C. unde vi. & cum se-
cui §c. cit. vel de illo, qui alie-
res non amplius habet in manibus
ut l. exstat. cit. vel cui nullum in
detenta jus competit, quod per-
clarum est: ergo ad nostrum casum
non quadrant. Richter n. 39. cit.



TITULUS XVIII.

De Confessis.

DECISIO LXI.

De Reo, legitimè interrogato, nunquam tamen con-
fesso crimen capitale.

SPECIES FACTI.

Eberhardus Nobilis de gravissimo
crimine veneni, personis ad-
modum conjunctis præbiti, publicè
diffamatus, in custodiam, & auctis
delicti indicis in carcerem datus est:
quæ indicia in tantum excreverunt,
ut non modò torturæ subjectus fuerit
Eberhardus, sed etiam vehementem
& violentam præsumptionem venefi-
cii verè ab Eberhardo commissi effe-
cerint, nihilque aliud defuerit ad fe-
ralem sententiam, quàm confessio
Rei, quæ tamen nulli vi ab eo extor-
queri potuit, gnaro utique, quòd
multi graves Doctores non conce-
dant ad pœnam mortis procedi. ex

præsumptionibus etiam violentis
vehementibus, ac insuper quòd
be, in qua tenebatur captivus, ve-
statuto vel ex consuetudine nullum
fici possit aut soleat ultimò supple-
nisi confessus, ita ut non sufficiat
convictum. Quamvis igitur à
tatis Juridicè & legitimè interro-
fuerit quæstione tam severa
mansueta, constanter tamen negavit
Eberhardus imputati sibi crimina-
reum esse. Unde demum carcerem
missus, non in vita punitus, sed
legatus solummodo est extra pœnam
ciam.

Q U Æ S T I O.

An, qui scit se reum capitalis criminis, & legitimè interrogatur à Judice, utpote semiplenam veletiam plus quàm semiplenam delicti habente probationem, in conscientià teneatur fateri delictum, si negando possit servare vitam?

Obligari asserit Cajetanus, & Thomista communiter, quibus colliguntur Navarrus, Tolet, Becan. Sanch. Malder. Laym. Filliuc. Aretinus, & alii magnò numerò. Probant I. Quando Judex legitimè seu Juridicè, h. e. secundùm Juris ordinem, & habita saltem semiplena probatione delicti interrogat, justè interrogat: sed Judici justè interroganti tenetur Reus fateri veritatem, consequenter & delictum; ubi enim ex una parte est jus interrogandi, ex altera parte debet esse obligatio respondendi; cum juri activo respondere debeat jus passivum seu obligatio. II. Ubi Judex justè præcipit, datur obligatio parendi in illo, cui præcipit; quia frustranea esset potestas præcipiendi, nisi ex parte altera daretur obligatio parendi: sed Judex, justè interrogans Reum super delicto, justè videtur præcipere, ut Reus, si se revera scit reum, fateatur delictum: ergo. III. Si non daretur obligatio fatendi veritatem in eo, qui interrogatur justè super crimine, ingens & publicæ damnus immineret, cum crimina passim manerent impunita; nam à quolibet facile negaretur delictum, si sciret, hac via se posse evadere mortem, vel aliam pœnam mortis parem, aut vix inferiorem. IV. (B. P. Picbler Decisiones.)

Judex stante semiplena probatione, vel majori, jus habet torquendi Reum, & sic per quæstionem severam exprimendi verum, ut omnes fatentur: ergo habet & Reus obligationem fatendi verum, aliàs videretur esse injusta & inutilis tortura, tanquam medium ad eliciendum verum, necdum plenè probatum. V. Habita probatione semiplena criminis capitalis potest Reo deferri juramentum, quo delictum vel fateatur, vel inficitur: sed tale juramentum deferri non posset, nisi legitimè interrogatus teneretur fateri crimen, si illius sit reus; secus enim cessaret obligatio Religionis, quæ tamen essentialiter inest omni juramento, tam assertorio ad affirmandum verum, quàm promissorio ad implendum promissum. VI. Si Reus non fateatur crimen, mentitur, & si juramentum præstet super sua negatione, pejerat, seu falsum jurat; nam qui aliud cogitat mente, quam ore proferat, committit mendacium. text. & Gl. in can. 2. causi. 22. q. 2. quod facit, qui legitimè interrogatus non fatetur crimen, & qui mendacio adjicit juramentum, facit utique perjurium: sed mentiri, & pejerare nunquam licet: ergo nec licet non fateri crimen, si quis legi-

R r

timè

timè interrogetur. VII. Si liceret negare crimen, & negationem firmare juramentò, tunc ideo, quia, quando agitur de conservanda vita corporali, licitum est uti amphibologiis, seu verbis ambiguis ad celandam veritatem: sed hoc non est licitum, cum ab Innocentio XI. sint damnata hæc duæ propositiones, ordine vigesima sexta & vigesima septima, quarum posterior sic habet: *Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis (nempe vitam) honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Prior autem est hujus tenoris: *Siquis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Consonat propositio vigesima octava, pariter ab eodem Pontifice damnata, nimirum hæc: *Qui mediante - munere ad - officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Quoniam verò gravissimi & multi Doctores Reum excusant à peccato, qui advertens, crimen suum non esse plene probatum, & se, si illud non

fateatur, posse evadere poenitentiam, vel aliam morti æquivalentem, aut admodum gravem, accedente sua confessione certò securam, illud non confitetur, hoc legitime & secundum Juris ordinem interrogatus. Et quia præfati Doctores simul bonis rationum momentis innituntur, ideo hanc sententiam verè & Theologicè probabilem, imò fortè probabiliorem ex principis intrinsecis, eò libentius amplectitur quia benignior est, & peccatum quod in tam manifestum vitæ discrimen adducti in tali rerum articulo difficillimè considerata humana fragilitate evitant, piè eliminat. Doctores autem, benignæ huic opinioni fautores, non tantum sunt plerique Scotistæ cum Scoto in 4. dist. 15. q. 2. in 3. membro. verum etiam alii, forsitan numerò pauciores, ut Angelus, Sylv. Bonac. Rosella, normit. Lessius, Lugo, Goemar, Cadenas in proposit. ab Imoc. XI. damnatas dissert. 19. c. 7. & 8. ubi præ allegat. Favet P. Reiffenstuel in 167. in tantum, ut hanc sententiam pro foro interno sit probabilem agnoscat. Item favet, me citato, D. Gnebeck in Exam. Jur. Can. h. l. 16.

Rationes autem sunt I. Præceptum hominis dari non potest ad aliquid humanæ infirmitati nimis arduum & difficile, quod moraliter loquendo considerata conditione humana est impossibile: sed interrogatio Judicialis etiam legitime & Juridicè procedit

ad summum est præceptum, & quidem hominis: ergo non potest dari ad aliquid humanæ fragilitati nimis arduum & difficile: atqui tale esset præceptum Judicis confessionem delicti capitalis urgens, si obligaret Reum ad fatendum delictum tale, quod si fateatur, actum est de vita, si non fateatur, in salvo est vita: ergo. In hoc discursu *Minor*, & *subsumptum* patet per se, *Major* ostenditur evidenter à majore ad minus; nam Legislator humanus non potest ferre legem validam & obligantem ad aliquid nimis arduum & difficile, atque sic moralem impossibile, ut constans est Doctorem assertio ad *can. 2. d. 4.* & ad *Tit. de Conjuracionibus*, seu de *Legibus*. ubi unanimiter docent, Leges humanas non obligare cum periculo vitæ, membrorum, aut alterius damni admodum gravis, eò quòd tales leges essent moraliter inobservabiles, cedereque in ruinam potius subditorum, quam in bonum communitatis: ergo longè minus ad tale quid obligare potest Judex, qui Legislatore est inferior. *Confirmatur*: Nimis profectò durum est humanæ conditioni cogere aliquem ad subministranda arma, quibus juguletur, quando aliàs, si non præbeat, spes est evadendi: sed si Judex possit cogere Reum ad fatendum delictum capitale nondum convincenter probatum, cogeret ad subministranda sibi arma, quibus juguletur Reus, quo tamen negato spem habet evadendi mortem: ergo.

II. Nemo tenetur in publico extra

Judicium confiteri id, ex quo manifestum mortis, vel famæ periculum vel jacturam incurrit, ut videtur per se evidens, unde enim tanta probatur obligatio? ergo nec ad id tenetur in Judicio; quia Judex, ut ut legitime interrogans, tam grave præceptum imponere nequit, ut vidimus paulò antè. Id quod *confirmatur* inde, quòd Reus, licet ejus delictum capitale sit plenè probatum vel certè probandum in Judicio, non teneatur comparere citatus, si nempe necdum sit in manibus Judicis, imò licitè possit fugere ex carcere, in quem jam est compactus, non obstante Judicis præcepto, ne fugiat; quod, ut credo, nec Adversarii negant: ergo nec tenetur fateri delictum, quod necdum est plenè probatum, nec plenè probandum credere potest Reus, ut hoc modo effugiat poenam mortis vel æquivalentem.

III. Licitum est vitam & membra defendere occidendo aggressorem, licet aggressor sit tantum materialiter injustus, v. g. fatuus, vel qui putet, licitè & justè se invadere alterum, aut aliena surripere in extrema necessitate, eò quòd omnia Jura permittant sui defensionem, & Natura vehementissimam, & moraliter insuperabilem inclinationem indiderit hominibus ad sui conservationem & defensionem: ergo etiam licet defendere vitam suam contra Judicem negando delictum, licet Judex interrogando non agat injustè; cum videatur esse par ratio.

R r 2

IV. Non

IV. Non tenetur Reus fateri delictum capitale, si illud adhuc sit occultum, licet Judex interroget, ut admittunt omnes: ergo neque tenetur fateri, si delictum semiplenè, vel plùs, non tamen omnino convincenter est probatum, licet interroget Judex. *Conseq. prob. I.* ideo non tenetur fateri crimen occultum, quia, quamdiu est occultum, pro foro externo Reus habetur pro innocente: sed etiam stante probatione semiplena, vel non omnino plena criminis, habendus est in foro externo pro innocente, cum nondum sufficienter probatus sit nocens, uti est certum; nam talis probatio non omnino plena præbet quidem Judici jus ulterius interrogandi, & inquirendi, non tamen pro nocente declarandi & ut talem condemnandi. *Prob. II.* Stante semiplena, & nondum habita concludente probatione, quilibet habet jus naturale ad vitam & famam suam, donec nimirum clarè & convincenter constet de delicto, ex quo perdat vitam, & famam: ergo, nondum habita plena probatione & clara, quilibet etiam habet jus suam vitam & famam tuendi; sed alium defendendi modum hinc & nunc non habet Reus, quàm si neget, vel non confiteatur crimen: ergo.

V. Nemo tenetur, vel cogi potest ad testificandum in causa capitali contra sanguine junctos. *l. 4. ff. de testib.* aut contra alium, quando ex tali testificatione incurrit grave damnum: ergo multò minùs cogi quis potest

ad testificandum contra se ipsum in causa capitali, cum grave damnum indè immineat testificanti: præsertim cum in *l. nimis grave 7. C. de testib.* dicatur generaliter, nimis grave est aliquem cogi ad exhibenda & testificanda ea, per quæ sibi negotium finitur.

Retundenda nunc sunt adversarium tela. *Primum* hebetatur dicitur guendo *Minorem*: tenetur Reus fateri veritatem, determinatè fatetur delictum, *N. Min.* vel fatendo delictum, vel istud celando aut negando in vero aliquo sensu, ita ut non negatiatur respondendo, sed adhuc veritatem dicat etiam negando. *C. Min.* In causa semiplenæ probationis & Judex habet jus interrogandi à Republica sibi confessum, & Reus habet jus negandi delictum in vero aliquo sensu, & defendendi vitam ac famam suam à Jure naturali sibi concessum, & à Judici non auferibile per præceptum obligans determinatè fatendum delictum, & non pote humanæ fragilitati nimis arduum. Rectè igitur quilibet vitur iure. Judex interrogando, Reus veritatem occultando; nec enim in hoc tenetur aliqua implicantia; quia non tenetur ejusdem de eodem: ut patet in exemplo de testibus: Judex, cum sufficientia habet indicia, potest interrogare testes licitè, etiam prius interrogatos de veritate dicenda, & tamen non tenentur testificari de delicto, exinde sibi grave immineat damnum. *l. 7. C. de testib. cit.* item in casu, quod Titius occidit Cajum, sed tanquam aggressorem servato moderamine inculpate

pute tutelæ: in hoc casu Judex ob
indicia sufficientia, Titium occidisse
Cajum, potest interrogare Titium,
an occiderit Cajum, e contra Titius,
etiam juratus, potest negare, se occi-
diffe, scilicet subintelligendo *dolosè*
vel *culposè*, ut omnes fatentur. Sed
in quo vero sensu Reus Juridicè in-
terrogatus potest negare crimen, &
differri? w. in hoc: *non feci hoc cri-*
men, subintelligendo, *ut teneat illud*
fatum cum manifesto periculo vitæ, fa-
ma, aut alterius admodum gravis
damni, & irreparabilis. Neque hoc
est uti restrictione mentali purè tali,
que semper est mendacium, sed æ-
quocatione uti, quod ex justa &
gravi causa, qualis utique est, ubi ag-
itur de vita, membris &c. licitè fit.
Differat autem *equivocatio à restrictio-*
ne purè mentali per hoc, quod ver-
bo æquivocantis vel ex se, vel in his cir-
cumstantiis prolata habeant duplicem
sensum, exterius advertibilem, unum
verum, quem loquens debet inten-
dere, & alterum falsum: falsus sen-
sus in nostra hypothesi est in his ver-
bis, *non feci hoc delictum*, verus au-
tem, in mente reticitus, in his, *ut*
teneat fateri cum periculo manifesto vitæ;
cum ad non fatendum mihi Jus natu-
rale, à Judice non auferibile, det
potestatem; & hic (notetur bene.)
sensus responsionis, *non feci hoc deli-*
ctum, in his circumstantiis datæ exte-
rius est advertibilis hoc ipso, quod
constare possit Judici, probabili-
ter saltem non dari obligationem fa-
tendi delictum cum periculo irrepara-

bilis damni. Exempla habes in testi-
bus, & in Titio Cajum inculpabiliter
occidente, de quibus dictum; item
in debitore, qui à Judice legitime in-
terrogatus, an non debeat Sempronio
centum, quos tamen scit se jam sol-
viffe, sed solutionem probare non
posse: is enim licitè negat debitum à
se contractum: item in conjugè val-
de suspecta de adulterio, & de eo
interrogata; licitè enim illud negat.

Secundum rursus amittit vires nega-
ta *Min.* cujus negandæ ratio claret ex
nostra probatione prima. Tenetur
quidem Reus justè interroganti &
præcipienti Judici parere: negatur
autem, quod Judex possit præcipere,
ut Reus determinatè fateatur deli-
ctum, sed tantum, ut Judici respon-
deat, vel fatendo delictum, vel veri-
tatem seu delictum licitis modis occul-
tando, sub disjunctione; si igitur li-
citis modis occultet veritatem, parat
Judici, faciendo unum ex duobus
sub disjunctione præceptis. Si Reus
Judici legitime interroganti omnino
non responderet, nec fatendo nec
negando crimen, peccaret contra
obedientiam, possètque propterea
puniri ut contumax, & ad respon-
dendum cogi aliis mediis, v. g. tor-
turâ, non tamen peccat contra obe-
dientiam, si respondeat, negando de-
lictum in sensu suprâ expolito. Sed
quem finem habet & obtinet interro-
gatio legitima Judicis, veritatis con-
fessionem intendentis, si Reus occul-
tare veritatem possit? an non talis in-
terrogatio est frustranea? n. non est
fru-

frustranea, sed, licet non habeat effectum & finem à Judice principaliter intentum, habere tamen potest sequentem triplicem effectum. I. Reus tenetur respondere, vel negando vel fatendo delictum. 2. Tenetur determinatè fateri delictum, ubi advertit, se per negationem non posse evadere poenam mortis, quia prævitet v. g. vel advertit, aliunde brevi satis probandum delictum. III. Si fortè Reus, licet non fuisset obligatus, determinatè fateatur delictum ad interrogationem Judicis, fit plena probatio delicti per confessionem Judicalem, ita ut Judex possit eum condemnare; quod facere non potuisset, nisi habuisset jus interrogandi, & per interrogationem legitimam non eliciuisset confessionem.

Tertium concidit innoxium, si negetur *Major*, scilicet noxium esse Reipublicæ, si delicta, sufficienter & convincenter non probata in Judicio, non puniantur poenâ ordinariâ. Respublica igitur, ubi crimen non legitime probatur in Judicio, pati per accidens debet damnum, quod ex tali impunitate criminum oritur, sicut plura alia, quæ emergunt ex criminibus occultis, quæ passim fiunt, vel manifestis quidem, auctores tamen criminum latent, vel comprehendi nequeunt.

Quartum amittit vim penetrandi negatâ *consequentia*; nam nulla datur coherentia *consequentis* cum *antede-*
Tortura etiam sine obligatione deter-

minatè fatendi crimen Reo imple-
justè & utiliter adhibetur; quia
dex jus habet torquendi, seu seve-
quæstionem adhibendi in casu
plenæ probationis; sicut habet
custodiendi in carcere Reum, &
men hoc non obstante Reus
jus fugiendi: habere autem tor-
potest eosdem effectus & eandem
utilitatem, quam tribuimus legitime
interrogationi Judicis mansuetæ. For-
tè enim tortura, licitè adhibita, con-
quet confessionem, saltem potest
rari extorsio, ut Reipublicæ per cri-
men læsæ satisfiat per justam
punitionem.

Quintum undique est debile, nam
Major est satis firma; quia non
locus esse debet juramento in causis
pitalibus deferendo Reis propter ma-
nifestum periculum perjurii. *Ubi*
alius de cobab. Cleric. & mul. Ubi
consilio Doctorum passim in
non defertur Reo juramentum.
Minor robur habet; quia, ubi quæ-
gravi causa licitè & sine mendacio
occultat veritatem sub æquivocatione
etiam licitè jurat sub tali æquivoca-
ne ac sine perjurio, ut communi-
docent Auctores, v. g. quando
non legitime est interrogans, &
quando procedit ex falsis præsum-
ptionibus &c.

Sextum corrui cum præcedenti
non enim mentitur (consequenter
nec péjerat jurando.) qui per
verba in talibus circumstantiis præ-
lata exterius aliquo modo exprimit,
quod interius sentit, licet ita, ut

rogans non advertat, modò justam habeat causam ita involvendi suam locutionem, ut interrogans non advertat sententiam, in quo proferuntur verba. Relege dicta ad *primam*, & insuper advertit pro majori declaratione, quòd Judex præsumi debeat non aliter per suam interrogationem velle veritatem commissi criminis elicere nisi illa servo jure Rei ad tuendam vitam, membra, famam &c. quamdiu non est convictus, & ad non comprehendam per se ipsum probationem delicti, mediante qua amitteret vitam &c. quod jus à Natura est ipsi concedendum, nec per Judicis præceptum auferri potest. Cùm hoc jus ipsius Rei censeatur scire Judex, & Reus iste hoc jure rectè utitur, & non advertere potest, in quo sensu negat Reus delictum, nimirum subintelligendo, ut teneatur fateri illud, & hoc modo complere probationem contra se ipsum, vitæ ablativam.

Septimum jam est enervatum in præcedentibus, uti & à Lumbier *tom. 3. Summe n. 1877. seqq.* item à Cardenas *l. 8. cit. n. 89. seqq.* ubi ostendunt, dictas propositiones solum esse damnatas, quatenus admittunt restrictionem *purè* mentalem, exterius non sensibilem & advertibilem vel ex verbis duplicem significationem habentibus, vel ex circumstantiis, in quibus proferuntur, scilicet per *ambiguitates* intelligendo restrictionem *purè* mentalem, non verò æquivocationem: vel dic, dictas propositiones esse prohibitas, quatenus æqui-

vocationem sine gravi causa licitam esse volunt. Demum observa, propositionem vigesimam octavam fuisse damnatam propter Jansenistas, qui juramentum sibi injunctum fraudulenter volebant eludere, & suam hæresim fovere: quod non est ad rem præsentem.

Quæres, an Reus etiam pro casu, quo delictum quidem est plenè probatum vel per testes, vel per præsumptiones vehementes seu vehementissimas, vi tamen statuti localis condemnari ad mortem nullus potest, quàm qui confessus sit delictum, uti in urbe, in qua Eberhardus noster videtur fuisse convictus per præsumptiones vehementissimas, vigere dicitur tale statutum vel consuetudo, Reus teneatur confiteri delictum? vel negando conservare vitam licitè possit? *Ubi* tale statutum vel consuetudo non reperitur, apud omnes est certum, quòd teneatur interrogatus fateri; quia cessat præcipua ratio defensionis vitæ &c. cùm convictus ad mortem condemnari possit, etiam si non confessus sit, saltem si plena probatio non consistat ex præsumptionibus. An verò idem dicendum pro casu, quo datur statutum vel consuetudo loci de nullo condemnando ad mortem, nisi qui fuerit confessus delictum? Cùm nullum apud Auctores invenerim Ducem, nec ego Dux ero vel Auctor sententiæ facientis Reo potestatem non consistendi, vel negandi delictum, Interim videtur ipsi favere ratio, vi cujus spectato Jure Natu-

Naturali Reus ipse non tenetur complere probationem, vi statui necessariam ad sui occisionem; spectato autem præcepto Judicis interrogantis non oritur obligatio; cum nimis difficile foret, & humanæ fragilitati arduum, ut homo ab homine obligetur ad ponendam conditionem, qua posita amittit, & qua non posita conservat vitam. An non negatio delicti in tali casu posset habere hunc sensum verum? *non feci hoc delictum,*

scilicet subintelligendo, *ut tenentur, & sic mihi ipsi confessione tantam adimere?* sibi met imputet Reus publica, quæ facit tale statutum vel aliter consuetudinem, si inde Reos debita pœnâ non puniri contingeret, & Reos sub dicta restrictione minusquam reddit sensibilem hujusmodi statutum vel consuetudo, & exterruit veritabilem, negare sua delicta, quibus sunt convicti. Sed, ut hoc ego determinare nolum.



TITULUS XIX.

De Probationibus.

DECISIO LXII.

De Creditore ad probandum obligato, licet Debetor excipiat affirmativè & simpliciter.

SPECIES FACTI.

UBaldus mercator varias merces, præsertim pro jejuniis Quadragesimali servituras, quas inter emittit asellus marinus, creditò dedit Wilibaldo, Officiali cuidam, pretio ad 60. florenos excurrente. Elapso verni Jejunii tempore solutionem sibi fieri sperabat Ubaldus, at frustra, nam tergiversante Wilibaldo per plures hebdomades, interpellavit ipsum Ubaldus. At ille respondit, se jam solvisse. Contrà protestatus Ubaldus ni-

hil sibi de facta solutione contulerat accessit Magistratum, à quo Wilibaldus eandem dedit responsionem, se jam solvisse, ac proinde rem à limine Judicii repellentem. Sed Ubaldus solutionem negavit, & à Magistratu, ut jubeat Wilibaldum probare hanc suam exceptionem affirmativam: regerit iste, onus probandi incumbere Actori, non Debetori etiam affirmativè excipienti, cum excipiens non fateatur intentionem Actoris.